



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 2. Vtrum fruitio sit actus elicited à voluntate: an solùm passio  
impressa voluntati ab obiecto, ipsâ non concurrente.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

## De Fruitione.

## ARTICVLVS I.

## Verum frui sit potentia appetitiua?

**C**onclusio est affirmans. Vide D. Thomam.

## D V B I V M I.

## Quid propriè sit fruitio.

**S**cotus in 1. d. 1. quæst. 3. putat, Fruitionem nihil esse aliud quam amorem, quo res diligitur propter seipsam; & frui Deo, nihil esse aliud, quam Deum amare.

**Dominicus Soto** in 4. d. 49. qu. 1. a. 4. putat, fruitionem esse ipsam rei adaptionem per actum vitalem; qui generet delectationem in appetitu. Frui enim picturam, nihil est aliud quam videre picturam cum voluptate; frui cibis, eos gustare cum voluptate; frui Deo, videre Deum, & inde gaudium percipere.

Ut res explicetur. Suppono hæc tria requiri, vt quis propriè dicatur frui, & eadem sufficere. Nempe amorem rei, coniunctionem rei per actum aliquem vitalem, & delectationem. Qui enim amat, & non habet rem præsentem, non dicitur frui, sed desiderare frui. Fruitio enim est terminus desiderij, vnde Prou. 6. dicunt quidam: *Venite, fruamur concupitis amplexibus.* Rursus, qui amat, & rem præsentem habet, si non delectatur, non fruitur; sicut is qui sumit potionem amaram, quam tamen desiderabat, non dicitur frui. Vnde D. August. l. 10. de Trinit. c. 10. *Fruimur rebus cognitis, in quibus ipsis propter se voluntas delectata requiescit.*

Ut autem intelligatur quid propriè ex his tribus vocetur fruitio:

**Dico primò, Amorem non propriè dici fruitionem.**

Probatur Primò, Ex cõmuni modo loquendi: frui bonis, non est amare bona, sed ex illis capere voluptatem. Frui concupitis amplexibus, non est amare amplexus, sed habere præsentem, & illis delectari. Secundò Probatur, Quia amor non requirit præsentiam rei, nec delectationem ex præsentia; hæc tamen requirit fruitio. Tertiò, Ex D. Augustino, l. 8. de Ciuit. c. 9. *Nemo, inquit, beatus est, qui eo non fruitur, quod amat.* Vbi aperte amorem & fruitionem distinguit. Quare cum idem August. l. 1. de doct. Christ. c. 4. ait, *Frui, est amore inherere,* non vult fruitionem esse amorem, sed illam inhesionem voluntatis, quæ ex amore nascitur. Denique idem patet ex vi nominis. Frui enim, est fructum capere, amare verò nihil est aliud, quam pondere quodam in rem amatam inclinari.

**Dico Secundò, Coniunctio boni per actum vitalem non est propriè & formaliter fruitio; rectè tamen dici potest fruitio causaliter.**

Prior pars probatur, quia si ex illa cõiunctione nulla sequeretur delectatio, non frueremur; vt si vescaris cibo suauis, vel audias suauem symphoniam, si non delectaris, non frueris. Confirmatur ex D. Augustino l. 8. de Ciuit. c. 9. & l. 83. qq. q. 30. vbi ait, *Frui, esse voluptatem capere.*

Neque etiã coniunctio boni per actum vitalem, est fruitio.

Amor non est fruitio.

August.

Altera pars, scilicet quòd causaliter rectè dicitur fruitio, Probat; quia coniunctio boni est causa delectationis & gaudij: re enim ipsam qua fruimur, præsentem sinit: imò ipsa quoque est obiectum delectationis. Iuxta hunc modum intelligit D. Thomam in resp. ad Primum, cum visionem Dei vocat fruitionem. Est enim causaliter fruitio; quia visio est causa, & etiam quodammodo obiectum fruitionis.

**Dico Tertiò, Delectatio vel gaudium consequens rei præsentiam & coniunctionem, propriè & formaliter est fruitio. Quod patet tum ex cõmuni modo loquendi; tunc enim & nunquam aliàs dicimur frui re optata, quando eã præsentem delectamur & gaudemus: tum quia cætera iam exclusa sunt. Hinc sequitur fruitionem propriè ad voluntatem pertinere. Est enim vltimus ipsius motus, omniumque motum terminus.**

## D V B I V M II.

## Verum fruitio sit actus elicited à voluntate, an solum passio impressa voluntati ab obiecto, ipsa non concurrente?

**S**cotus in 1. d. 1. q. 3. & in 3. d. 15. putat gaudium & delectationem (quæ nos nomine fruitionis intelligimus) & tristitiam solum esse passiones productas ab obiectis in appetitu. Idem sentit Henricus Quodlib. 11. q. 8. & 9.

Respondeo, Fruitionem esse actum à voluntate effectiue productum. Idem dico de tristitia. Est communior Theologorum sententia in 1. d. 1. & D. Thom. infra, q. 22. a. 3. ad 3. & Caiet. q. 31. a. 4. Ratio est, quia fruitio & tristitia sunt actus vitales, atque adeo vitæ quædam ipsius animæ; actus autem vitales non debent manare à principio effectiue extrinseco; vt supra ostensum est.

Contrà obijcitur ex Scoto: Primò, omnis actus voluntatis est velle aut nolle: sed delectatio & gaudium non est velle, neque tristitia: est nolle (Beati enim habent nolitionem de peccatis, non tamen tristitiã): ergo non sunt actus voluntatis.

Respondeo, Concessã maiore, generatim loquendo nego minorem. Tristitia enim est quoddã nolle generatim accepto nomine, quia est quædam vitalis fuga & auersio appetitus à malo præsentem, cum quadam amaritudine & afflictione. Similiter gaudium est quoddam velle (nam D. Aug. l. 14. de Ciuit. c. 6. *Omnem motum voluntatis, docet esse voluntatem, id est, volitionem*) quia est vitalis quædam inhesionem in obiecto cum quadam dulcedine.

Nec obstat, quòd in Deo & Beatis sit nolitio peccati, & tamen in illis non sit tristitia; quia tristitia non est quæuis nolitio, sed amara.

Obijcitur Secundò, Si Petrus summè nolit filium mori, & filius moriatur, Petro veniet noua tristitia. Sed non obueniet ei noua aliqua nolitio; quia iam ponitur summè noluisse: ergo solum superueniet ei quædam passio illata ab obiecto præsentem.

Respondeo Negandã minorem generatim loquendo; etiam enim habeat summam nolitionem propriè

Quamuis sit fruitio causaliter.

Fruitio quid.

Scotus. Henricus.

Fruitio & tristitia non sunt nuda passiones, sed vitales motus ab intrinseco.

Soluuntur argumenta Scoti.

proprie dicta, potest tamen ei superuenire nouus motus auersionis vitalis ex praesentia mali, qui specie sit distinctus a priore nolitio: posset tamen generatim vocari nolitio, quia est vitalis auersio a malo praesenti.

Obijcitur Tertio, Omnis actus voluntatis est in eius potestate: sed delectatio & tristitia non sunt in potestate voluntatis: ergo, &c.

Respondeo, Omnem actum voluntatis in hac vita, qui sit ex perfecto rationis usu, esse quidem in potestate voluntatis, sed mediate vel immediate, non autem immediate; ut patet in electione medij necessarij supposita efficaci intentione. Itaque tristitia & delectatio, etsi non sint immediate in potestate voluntatis, sunt tamen mediate. Posito enim amore alicuius boni, & illius boni praesentia, necessariò resultat gaudium & delectatio. Et positò odio alicuius obiecti, & eius praesentia, necessariò emicat tristitia. Sed haec necessitas solùm est ex suppositione alicuius rei, quae est in mea potestate. Si enim tollam amorem & odium, vel cogitationem aliò diuertam; tollam etiam gaudium & tristitiam.

ARTICVLVS II.

*Vtrum frui tantum conueniat naturae rationali, an etiam brutis?*

**P**rima Conclusio. Perfecta fruitio soli naturae rationali competit; scilicet Deo, Angelo, homini. Ratio est, quia fruitio est quaedam vitalis inhaesio appetitus in bono praesente propter ipsu. Atqui sola natura rationalis distinctè cognoscit rationem boni, eiusque habitudinem ad subiectum: ergo, &c.

Secunda Conclusio. Brutis non conuenit ratio fruitiois nisi imperfectè. Ratio est, quia non cognoscunt rationem boni nisi confusè; non enim cognoscunt proportionem & conuenientiam, quam habet cum subiecto, & sitne propter se, an propter aliud conueniens.

Notandum est, Fruitionem, id est, gaudium & delectationem nasci ex tribus, ex potentia, obiecto, & coniunctione obiecti per aliquem actum vitalem, ut per cognitione intellectus vel sensus. Vnde sequitur, ceteris paribus eò maiorem esse & perfectiorem fruitionem, quò aliquid horum trium perfectius fuerit; & consequenter perfectissimam esse ex visione Dei. Nam haec nascitur in suprema potentia, ex suprema coniunctione boni supremi. Si enim tanta est delectatio appetitus sensitui ex bonis infimis per sensum apprehensis, quanta erit in appetitu supremo, ex infinito bono, visione beatifica nobis vnito?

ARTICVLVS III.

*Vtrum fruitio sit tantum ultimi finis?*

**P**rima Conclusio. Fruitio proprie tantum est ultimi finis.

Probat, Quia fruitio proprie designat quietem voluntatis in aliquo bono delectabili. Atqui voluntas in nullo bono perfecte quiescit nisi in ultimo; scilicet, post quod non sperat aliud;

quamdiu enim aliud sperat, non sistit, sed est inquietata, donec obtinuerit quod censet sibi ultimo esse obtinendum. Hoc modo D. Aug. passim vtitur nomine fruitiois, ut lib. 83. qq. q. 30. cum ait, *Omnem humanam peruersionem esse, fruendis velle, & vrendis frui.* Et lib. 1. de doct. Christ. c. 3. vbi dicit, *Tantum fruendum esse Patre, Filio & Spiritu sancto.*

Secunda Conclusio. Quodam tamen modo rectè dicimur frui quouis alio bono, quod propter se diligimus, etiamsi non habeamus illud pro ultimo fine.

Probat, Quia omne tale bonum habet in se vnde delectet, & voluntatè in se quiescere faciat, si non omnino, certè in praesenti negotio, & in praesenti intentione, in qua est vltimum. Confirmatur ex D. Augustino l. 1. de doct. Christ. c. 4. vbi dicit, *Frui est amore inhaerere alicui rei propter se ipsam.* Fruimur ergo omni bono, quòd propter se diligimus; si illud praesens habeamus. Sic dicimur frui amicis & amicorum consortio, contemplatione caelesti, lectione Scripturarum, & similibus. Aduerte tamen, si illud bonum quo fruimur, non sit in se honestum, talem quoque fruitioem non fore honestam. Talis enim est delectatio, quale est bonum quo delectamur.

Dices, Delectatio est tantum de bono delectabili: atqui bonum delectabile distinguitur ab honesto tamquam diuersum genus boni; ergo nulla delectatio per se & intrinsecè est honesta, neque versatur circa bonum honestum.

Respondeo, Omne bonum honestum adamatè esse delectabile, & in sua intrinseca ratione includere vim delectandi: vnde si praesens fuerit, cauabit delectationem. Colligitur ex D. Aug. l. 1. de doct. Christ. c. 33. *Cum adest, inquit, quod diligitur, etiam delectatione secum gerat necesse est.* Ratio est, quia delectatio nascitur ex praesentia boni adamat, qualecumque illud bonum sit, siue delectabile tantum, siue honestum. Vnde quando bonum diuiditur in honestum & delectabile, per delectabile intelligitur, vel quòd solùm delectabile est, & non honestum; ut sunt bona sensibilia: vel solùm ista membra ratione distinguuntur: nam ipsa bonitas honesti est delectabilis, & eius delectatio est bonum honestum; neque haec rationes per vllam potentiam possunt separari.

D V B I V M.

*Vtrum etiam medijs fruamur quatenus media sunt?*

**R**espondeo & Dico Primo, Si frui accipiat, ut idè sit quòd cum delectatione vti, (quomodo definitur à D. Augustino lib. 1. de doct. Christ. c. 33.) rectè dicimur frui medijs; etiam ut media sunt. Ratio est; quia proprie vtimur medijs, & ex illorum usu percipimus delectationem: sic dicimur frui hereditate, opibus, domo, consortio, &c. etiamsi haec non amentur propter seipsa: sed solùm propter vitæ commoda, quæ per ea comparantur.

Notandum tamen, vsum medijs non adferre delectationem ratione bonitatis intrinsecae (quia bonitas medij intrinseca, sicut nec amatur propter se, ita neque delectare potest per se) sed solùm ratione bonitatis finis, ob quem bonitas medij amatur. Confirmatur, Quia tota bonitas  
G ij quæ est

Quomodo gaudium & tristitia sint in nostra potestate.

4 Frui naturae rationali competit perfecte.

Brutis imperfecè.

Est etiam aliorum bonorum.

Fruitio iuxta August.

Bonum honestum adamatè est delectabile, August.

6